

V R B I N V M.

Cumque aér hic purissimus sit, ingenia profert acutissima, & in omni scientiarum genere excellētia, ac idcirco multi scriptores tradunt, Rocenses, & loci & animi fortitudine fretos, saxis solummodo & lapidibus sāpe fugasse peregrinos exercitus, viam iis occidentes, ne ad depopulanda & vastanda vicina loca excurrere possent. Vnde merito Rocca Contrada dicitur propugnaculum S. R. E. sub cuius signo hastenus floruit, & etiamnum floret. Insignia ejus Crux Christi & claves S. Petri. Loci amoenitate allecti nobiles plurimi eo per æstatem sedere solent. Aér illi, ut dixi, purus est & purgatus, aqua frigida, vinum generosum. Illustravit eam Angelus Rocca Augustinianus Episcopus, vir moribus candidissimus & doctrina insignis, qui eam scriptis suis nobilitavit, eamque ære exsculpi, addita luculenta descriptione, curavit.

Cæterum restat ut de Dominio S. Leonis aliquid agamus, cuius ager vulgo appellatur Monte Feltro. id nominis ab antiquo oppidi S. Leonis vocabulo traxit, quod Procopio, Nicephoro Gregoraz, Nicetæ Choniatæ, & aliis inferioris seculi scriptoribus Græcè scribitur Μόντης Φεράντης, Montes Ferantes; Luitprando vero

S. Leo.

Monte
Feltro.

Ticinensi Mons Feretratus, quod forsitan melius fuerit Mons Feretus. id enim proprius accedit cum ad hodiernum nomen Monte Feltro, tum ad Græcorum Μόντης Φεράντης. & Anastasius in vita Stephani III diserte vocat Montemferetri; & in vita Hadriani Monteferetri. Oppidum est hodie inter Concham atque Marechiam flumina, in edito colle, vulgari vocabulo S. Leo, episcopalī dignitate clarum.

Omnis hæ urbes atque oppida, comprehensis etiam prædiis, reddebant Ducibus quotannis trecenta scutatorum millia, & amplius. Regio ^{reditus.} Regio est opulenta & fœcunda; populo referta est, atque ex urbibus ejus ad xx peditum millia cogi possunt.

Anno 1626 Vrbanus VIII, P. M. animad- ^{Ad statum Ecclesiasticum.} vertens Imperatoris & aliorum molitiones, Du- catum hunc à Duce adhuc superstite, centum millibus ducatorum pro machinis, armis, & reliquo arcium apparatu bellico numeratis, im- petravit. Atque ita dominium Ecclesiasticum supra centum viginti milliaria in longitudine, à Terracina & ultimis regni Neapolitani limi- tibus, ad fines usque domini Venetorum, ob- tinet.

